



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Articulus III. vtrum Christus habuerit scientiam inditam vel infusam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

habitus, ergo. Cōfirmatur, nam hac ratione in quo-
eunque Sācto est aliqua virtus intellectualis infusa,
curgitur non erit in Christo? Nulla sanē est dubi-
tandi ratio, neq; aliquid inuenio, quod contra has
veritates obijciat, quod responsione dignura sit;
quamquam Palud. in 3. d. 13. q. 2. multa in utrāque
partem obijciat. An verò hic habitus sit vnus vel
multiplex, in sequentibus disputabitur.

ARTICVLVS II.

*Virum Christum habuerit scientiam, quam habent
beati vel comprehensores.*

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod in
Christo non fuerit scientia beatorum vel com-
prehensorum. Scientia enim beatorum est per par-
ticipationem diuini luminis: secundum illud. Psalm. 35. In
lumine tuo videbimus lumen. Sed Christus non habuit lumen
diuinum, tanquam participatum, sed ipsam diuinitatem in
se habuit, substantialiter manentem: secundum illud Colos.
2. In Christo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corpora-
liter. Ergo in Christo non fuit scientia beatorum.

2. Præterea, scientia beatorum eos beatos facit, secun-
dum illud 1o. ad 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te, so-
lum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Sed ho-
mo ille fuit beatus ex hoc ipso, quod fuit Deo vnitus in persona:
secundum illud Psalm. 64. Beatus, quem elegisti & as-
sumpsisti. Non ergo oportet ponere in ipso scientiam beato-
rum.

3. Præterea, scientia duplex homini competit, vna se-
cundum suam naturam, alia supra naturam. Scientia au-
tem beatorum, que in diuina visione consistit, non est se-
cundum naturam hominis, sed supra eius naturam. In Christo
autem fuit alia supernaturalis scientia multo altior, scilicet,
scientia diuina. Non ergo oportuit in Christo esse scientiam
beatorum.

Sed contra, scientia beatorum in Dei cognitione consistit.
Sed ipse plenè cognouit Deum, etiam secundum quod homo:
secundum illud 1o. ad 8. Scio eum, & sermonem eius seruo. Ergo
in Christo fuit scientia beatorum.

Respondeo dicendum, quod illud, quod est in potentia, re-
ducitur in actum per id, quod est actus: oportet enim esse cali-
dum id, per quod alia calefiunt. Homo autem est in potentia ad
scientiam beatorum, que in Dei visione consistit, & ad eam
ordinatur, sicut ad finem: est enim creatura rationalis capax
illius beate cognitionis, in quantum est ad imaginem Dei. Ad
hunc autem finem beatitudinis homines reducantur per
Christi humanitatem, secundum illud Hebræorum 2. Dece-
bat eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui mul-
tos filios in gloriam adduxerat, autorem salutis eorum per
passionem consummari. Et idè oportuit, quod cognitio
beata in Dei visione consistens, excellentissime Christo homi-
ni conueniret: quia semper causam oportet esse potiori cau-
sato.

Ad primum ergo dicendum, quod diuinitas vnita est hu-
manitati Christi secundum personam, non secundum essen-
tiam vel naturam, sed cum vnitate persone remanet distinctio
naturarum. Et ideo anima Christi, que est pars humana na-
tura, per aliquod lumen participationis à natura diuina, per-
fecta est ad scientiam beatam, qua Deus per essentiam vi-
detur.

Ad secundum dicendum, quod ex ipsa vnione homo ille est
beatus beatitudine increata, sicut ex vnione est Deus. Sed præ-
ter beatitudinem increatam oportuit in natura humana Chri-
sti esse quandam beatitudinem creatam, per quam anima ei-
us in ultimo fine humana natura constitueretur.

Ad tertium dicendum, quod visio, seu scientia beata, est
quodammodo supra naturam animæ rationalis, in quan-

A tum, scilicet, propria virtute ad eam peruenire non potest. A-
lio verò modo est secundum naturam ipsius, in quantum, sci-
licet, secundum naturam suam est capax eius, prout, scilicet,
est ad imaginem Dei facta, vt supra dictum est*. Sed scientia
increata, est omnibus modis supra naturam animæ hu-
manæ.

In corp. art.

COMMENTARIVS.

Affirmat D. Thomas, & probat, quia Christus est
alijs beatitudinis causa, multò ergo magis eam
habuit. Quæ ratio, est moralis demonstratio, non
metaphysica: & ideo difficultas, quam Caietanus
mouet, necessaria non est, quamvis quæ occasione
illius dicit, & quæ notat in solutione ad tertium, vti-
lia sint, omnia tamen clara.

ARTICVLVS III.

*Virum Christum habuerit scientiam inditam vel in-
fusam.*

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod in
Christo non sit alia scientia indita, vel infu-
sa, præter scientiam beatam. Omnis enim a-
lia scientia comparatur ad scientiam bea-
tam, sicut imperfectum ad perfectum. Sed
presente cognitione perfecta, excluditur cognitio imperfecta,
sicut manifesta visio faciei excludit enigmaticam visionem fi-
dei, vt patet 1. Corinth. 13. Cum igitur in Christo fuerit scien-
tia beata (vt dictum est*) videtur, quod non potuerit in eo in-
esse alia scientia indita.

66.

Infr. q. 12. a.

1. cor. 13. d.

14. 1. q. 5.

Et ver. q. 10.

a. 2. c. fin. c.

a. 3. c. op. 1.

9. c. 223. c.

op. 2. q. 81.

Art. præc.

2. Præterea, imperfectior modus cognitionis disponit ad
perfectiorem, sicut opinio, que est per syllogismum dialecticū,
disponit ad scientiam, que est per syllogismum demonstrati-
uum. Habita autem perfectione, non est ulterius necessaria dis-
positio; sicut habito termino, non est necessarius motus. Cum
ergo cognitio quacunque alia crata comparatur ad cognitio-
nem beatam, sicut imperfectum ad perfectum, & sicut dispo-
sitio ad terminum, videtur, quod cum Christus habuerit cogni-
tionem beatam, quod non fuit ei necessarium, habere aliam
cognitionem.

3. Præterea, Sicut materia corporalis est in potentia ad
formam sensibilem, ita intellectus possibilis, est in potentia ad
formam intelligibilem. Sed materia corporalis non potest si-
mul recipere duas formas sensibiles, vnā perfectiorem, &
aliā minus perfectam: ergo neque anima potest simul recipere
duplicem scientiam, vnā perfectiorem, & aliā minus
perfectam: & sic idem, quod prius.

Sed contra est, quod dicitur Coloss. 2. quod in Christo sunt
omnes thesauri sapientie & scientie absconditi.

Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est*, decebat, Ar. 1. huius
vt natura humana assumpta à Verbo Dei, imperfecta non es-
set. Omne autem, quod est in potentia, est imperfectum, nisi re-
ducatur ad actum. Intellectus autem possibilis humanus est in
potentia ad omnia intelligibilia. Reducitur autem in actum
per species intelligibiles, que sunt quedam forme completiue
ipsius, vt patet ex his, que dicuntur in tercio de Anima*. Et id-
eo oportet in Christo ponere scientiam inditam, in quantum
per Verbum Dei, anima Christi sibi personaliter vnita, impres-
sa sunt species intelligibiles ad omnia, ad que intellectus possi-
bilis est in potentia. Sicut etiam per Verbum Dei impressæ
sunt species intelligibiles menti angelicæ in principio creatio-
nis: vt patet per Augustinū* 2. super Genes. ad liti-
ram. Et ideo, sicut in Angelis, secundum eundem Augusti-
nū*, ponitur duplex cognitio (vna scilicet, maritima, per
quam cognoscunt res in Verbo: & alia vespertina, per quam
cognoscunt res in propria natura per species sibi inditas) ita

Ar. 1. huius

quæst.

Lib. 3. d. 12.

18 tom. 2.

Lib. 2. c. 8.

tom. 3.

L. 11. de ci-

uit. Dei c. 7.

d. medio. 10.

5. Et l. 4. su-

per Gen. c. 2.

24 tom. 3.

præter scientiam diuinam & increatam, est in Christo secundum eius animam scientia beata, quia cognoscit Verbum, & res in Verbo: & scientia infusa sine indita, per quam cognoscit res in propria natura per species intelligibiles humanam menti proportionatas.

Ad primum ergo dicendum, quod visio imperfecta fidei, in sui ratione includit oppositum manifeste visionis, eo quod de ratione fidei est, ut sit de non visis, ut in secunda parte dictum est*. Sed cognitio, quæ est per species inditas, non includit aliquid oppositum cognitioni beata. Et ideo non est eadem ratio utrobique.

Ad secundum dicendum, quod dispositio se habet ad perfectionem dupliciter. Vno modo sicut via ducens ad perfectionem: alio modo, sicut effectus à perfectione procedens. Per calorem enim disponitur materia ad suscipiendam formam ignis, quia tamen adueniente, calor non cessat, sed remanet quasi quidam effectus talis forme: Et similiter opinio ex syllogismo dialectico causata, est via ad scientiam, quæ per demonstrationem acquiritur, quia tamen acquisita, potest remanere cognitio, quæ est per syllogismum dialecticum, quasi consequens scientiam demonstratiuam, quæ est per causam. Quia ille, qui cognoscit causam, ex hoc etiam magis potest cognoscere signa probabilia, ex quibus procedit dialecticus syllogismus. Et similiter in Christo, simul cum scientia beatitudinis, manet scientia indita, non quasi via ad beatitudinem, sed quasi per beatitudinem confirmata.

Ad tertium dicendum, quod cognitio beata non fit per speciem, quæ sit similitudo diuinæ essentie, vel eorum, quæ in diuina essentia cognoscuntur: ut patet ex his, quæ in prima parte dicta sunt*: sed talis cognitio est ipsius diuinæ essentie immediatè per hoc, quod ipsa essentia diuina unitur menti beate, sicut intelligibile intell. genti, quæ quidem essentia diuina est forma excedens proportionem cuiuslibet creature. Unde nihil prohibet, quin cum hac forma superexcedente, simul infinetur rationali menti species intelligibiles proportionata sua natura.

Si est in potentia ad species intelligibiles, ergo, ut esset perfectus, debuit habere actum.

Sed contra, nam vel est sermo de potentia naturali, & sic non concluditur intentum, quia ad scientiam per se infusam non est intellectus humanus in potentia naturali. Vel est sermo de obedientiali, & hanc potentiam non oportet habere semper actum, quia neque est debitus, nec potest dari omnino adrequatus. Respondetur ex eodem D. Thoma, quæstio. II. art. I. sermonem esse de potentia obedientiali. Sed (ut bene Caiet. hic, & ibi notat) non est intelligendum de potentia obedientiali in tota sua latitudine, prout ad absolutam Dei potentiam comparari potest, sic enim rectè procedit argumentum factum; sed intelligendum est de hac potentia, ut pertinente ad perfectum statum gratiæ, seu prout in eo statu secundum legem Dei ordinariam reduci solet in actum, ac si diceremus, animam esse in potentia ad gratiā, vel ad caritatem infusam; eodem enim modo per intellectum est in potentia, ut in aliquo statu perfectè cognoscat res in proprio genere, seu per proprias species, & ita optimè procedit ratio D. Thomæ, & multo magis in Christo, quam in alijs, cui ratione visionis potest hac capacitas dici quodammodo naturalis.

In argumentis tractat D. Thom. an cum scientia beata possit esse simul alia scientia de eisdem rebus per beatam cognitionem; quæ quæstio facilis est, & communis alijs beatis, & ita argumenta omnia clara sunt, & non indigent expositione. Notanda verò est solutio ad secundum, ubi D. Thomas sentit, actum opinionis esse posse simul cum scientia, & Caietanus in re idem affirmare videtur, quāuis in modo loquendi neget. Sed de hoc alias.

ARTICVLVS IV.

Utrum Christus habuerit aliquam scientiam acquisitam.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod in Christo non fuerit aliqua scientia experimentalis acquisita. Quicquid enim Christo conueniens fuit, excellentissime habuit: Sed Christus non habuit excellentissime scientiam acquisitam, non enim insitit studio literarum, quo perfectissime scientia acquiritur, dicitur enim Ioan. 7. non abantur ludai dicentes. Quomodo hic literas scit, cum non dixerit? Ergo videtur, quod in Christo non fuerit aliqua scientia acquisita.

2. Præterea, Ei, quod est plenum, non potest aliquid superaddi. Sed potentia anima Christi fuit impleta per species intelligibiles diuinitus inditas, ut dictum est*. Ergo non poterunt superuenire anima species acquisitæ.

3. Præterea, in eo, qui iam habet habitum scientie per eam, quæ a sensu accipit, non acquiritur nouus habitus (quia si due forme eiusdem speciei simul essent in eodem) sed habitus, qui prius inerat, confirmatur & augetur. Ergo, cum Christus habuerit habitum scientie indite, non videtur, quod per eam, quæ sensu percipit, aliquam aliam scientiam acquisierit.

Sed contra est, quod Hebræorum 5. dicitur: Cum esset Filius Dei, didicit ex his, quæ passus est, obedientiam. Glossa ista interpretatur. Fuit ergo in Christo aliqua experimentalis scientia, quæ est scientia acquisita.

Respondetur dicendum, quod, ut ex supra dictis patet, nihil eorum, quæ Deus in nostra natura plantauit, desunt humane nature, assumptæ à Dei Verbo. Manifestum est autem, quod in humana natura Deus plantauit, non solum intellectum possibilem, sed etiam intellectum agentem. Unde necesse est dicere, quod in anima Christi fuit, non solum intellectus possibilis, sed etiam intellectus agens. Si autem in alijs Deus & natura nihil frustra faciunt (ut Philosophus

COMMENTARIVS.

Dupliciter potest aliqua scientia esse infusa, vel per se, quia natura sua postulat illum productionis modum; vel per accidens, quia licet acquiri possit, ex accidente infunditur. D. Tho. ergo de scientia per se infusa loquitur, ut constat ex tota quæstione sequenti, præsertim ar. 4. Caietanus vero, nescio quam, differentiam inuenit inter nomen scientie indite, vel infuse. Ait enim, scientiā dici infusam, quando datur supra naturā debitam, atque adeo diuersa actione qua illius subiectum creatum est, qualem dicit (& bene) fuisse scientiam infusam animæ Christi inditam autem scientiam vocari dicit, quæ datur alicui simul cum ipsa natura, quia est connaturalis, & quasi debita ipsi naturæ, atque adeo, quæ imprimatur eadē actione, qua ipsa natura creatur, ut est, inquit, scientia angelica. Sed, quod ad verba attinet, non immoror, quamquam existimem, has voces apud Theologos ferè semper pro eadē usurpari, & Latine idem significare, si tamen vox, indita, Latina est. Quod verò ad rem attinet, illud solū de productione scientie indite per eandem actionem, qua producit subiectū, existimo esse falsum, quia, cum sit qualitas à subiecto distincta, & ab illo effectiue non resultat, ut in materia de angelis ostendi, etiam si connaturalis sit subiecto, necesse est, ut ab agente distincta actione producat. Vera ergo differentia solum est, quod scientia cum natura coneretur, siue infusa, siue indita dicatur, interdum est supra naturalem capacitatem, & debitum naturæ: interdum verò est illi consentanea.

b Respondet D. Thomas, esse in Christo scientiam infusam præter beatā. Probat, quia intellectus Chri-